

Congregatione formiter producta apud majorem partem Eminentissimorum Patrum tunc in Sacra Congregatione sedentium, fuerunt habita tanquam nullius ponderis, uti sibi retulisse Eminentissimum Petrucium, tunc ibi sedentem testatur Monacell. tom. 1. in Appendice ad Formularium Legale practicum in annot. ad d. Decretum Clementis X. n. 4.

(49. Tum etiam quia, si quam militaret ratio pro aliqua Congregatione Canonicorum Regularium pro capacitate ad beneficia Curata, deberet potissimum esse pro præstantissima Congregatione Lateranensium, cujus canonici in eorum professione promittunt Beneficia Curata extra Ordinem non suscipere absque licentia Capituli et Generalis. Unde si istis est dempta talis capacitas ad beneficia Curata non obstante ipsa formula professionis, ut patet ex supra laudato decreto jussu Clementis X. edito. ibi: « Non obstantibus, etc., statutis formula professionis in eo Ordine et Congregatione emitti solita, » etc., a fortiori erit dempta talis capacitas ad Beneficia Curata aliis Canonicis Regularibus, qui non habent similem formulam Professionis. (50. Et hanc incapacitatem ad Beneficia Sæcularia Curata comprehendere omnes Canonicos Regulares cujuscumque sint Congregationis, tenent Fagnan. in dict. c. *quod Dei timorem* 7. de statu Monachor. num. 16. et 17. et sequent. Pignatell. tom. I. consult. 44. a num. 14. usque ad fin. Barbosa in d. c. *Quod Dei Timorem* num. 3. et lib. 3. Juris Ecclesiastic. n. 80. ad Trid. sess. 14. c. 11. n. 5. Nicolius in floscul. verb. Regul. n. 25. Garcias part. 7. de Benefic. c. 10. n. 33. Tondut. qq. Benefic. tom. 1. c. 80. per tot. Quarat. verb. *Canonicus Regularis*, Maranta resp. Juris tom. 4. c. 89. num. 35. Pignatell. in observatione ad Laurentium de Franchis, q. 86. ubi testatur de observantia in praxi, Corrad. in praxi dispensationum lib. 6. cap. 1. num. 13. vers. At vero Ego; Capon. disceptat. form. 108. n. 77. Passerin. in c. cum. de Beneficio num. 3. de Præb. et dignit. in 6. Card. de Luca postquam contrarium innuerat, hanc veritatem fatetur in disc. 64. et 65. de Benefic. et de donationibus disc. 25. n. 6. Monacell. loc. cit. Card. Petra loc. cit. num. 39. et alii passim; et firmavit Rota in Novariens. Prob. 15. Junii 1693. § *Nec adversari coram Reverendissimo Manuel.* confirmata 2. Decembr. ejusdem Anni, et in Leodiens. Parochialis 11 Decembr. 1693. in § final. Vide verb. *Habitus* num. 69.

(51. Canonici Regulares omnes, multo magis absque speciali dispensatione Apostolica, sunt incapaces ad obtinenda Beneficia sæcularia non Curata, nempe Canonicatum in Collegiata Ecclesia sæculari, aut Beneficium simplex. (52. Hoc enim etiam Jure veteri prohibitum erat, textu expresso in c. 16. Placuit quæst. 1. ibi: « Nec ad Ecclesias sæculares transire; » et clarissime in c. Super eo, de Regularibus, ibi: « Nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt,

venire probentur. » Et sic expresse declaravit Sacra Congreg. Concil.: « Regulares sunt incapaces Beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici Regulares, » ut refert Garcias. cit. c. 2. part. 7. cap. 10. n. 31. (53. Et ita etiam in canonico Regulari alias respondit Gregorius XIII. Nam cum dubitaretur an canonicus Regularis esset capax Beneficii simplicis, Sacra Congregatio dixit videri incapacem, quia Cap. *Quod Dei timorem* loquitur de Parochiali: agendum tamen cum Sanctissimo. Die 23. Julii 1578. Sanctitas sua dixit, licet Tridentinum Concilium non prohibuisset Regularibus obtinere sæculare Beneficium, et concilium Lateranense sub Leone ad concordata tantum restringeretur, tamen Jus commune obstare, quod non nisi in Parochialibus dispensat d. c. *Quod Dei timorem*. Hic autem agitur de simplici; sic refert Fagnan. loc. cit. n. 19. (54. Et anno 1695. cum Carolus Radosnenaschi Canonicus Regularis obtinuisset a Capitulo Generali facultatem consequendi omnia Beneficia, Canonicatus, et Prælaturas in quacumque Diœcesi Regni Poloniae, et a Sacra Congr. peteret confirmationem hujusmodi facultatis; Sacr. Congr. Episcoporum et Regularium Die 7. Julii 1685. petitam confirmationem concessit, quo ad Curata tantum ad formam Sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum, eo quod raro permittatur dispensatio ad simplicia Beneficia, ut monet Card. de Luca in adnot. ad Conc. Trid. disc. 13. n. 7. et etiam dixit Sacr. Congr. Conc. in Taurinensi 1. Septemb. 1603. et 24. Aug. 1617. Et sic tenent Hostiens. in summa de statu Monachor. § *Utrum populum*; Joann. Calder. in d. c. *Quod Dei timorem*, Card. ibid. in 5. quæst. num. 14. vers. *Si autem assumitur ad Canonic.* Feder. de Senis. cons. 136. Factum tale est sub num. 4. vers. sed fortius obstat; Fagnan. in d. c. *Quod Dei timorem*, num. 19. Petra loc. cit. n. 34. et omnes supracitati sub num. 50. (55. Unde hæc incapacitas Canonicorum Regularium ad quæcumque Beneficia sæcularia efficit, ut si obtineatur aliquod Beneficium ab ordinariis absque dispensatione Apostolica, ipsa institutio sit ipso Jure nulla secundum Regulam 43 Cancellariæ, et possit denuo uti vacans impetrari per alium, ut innuit Gonzal. in cit. cap. *Quod Dei timorem*, de statu Monachor. in fin. Petra loc. cit. num. 42. Riccius decis. 49. per tot. part. 1. Garcias. de Benefic. part. 7. c. 10. n. 2. et sequent. Laurent. de Franchis de controv. inter Episcopos: et Regul. p. 2. q. 86. Marc. Anton. Macerat. var. resol. l. 1. resol. 20. num. 12. et alii passim; et supponitur a Rota in Leodiens. Parochialis 4. Julii 1692. et 11. Decemb. 1693. coram Pio. Et ratio est clara, quia actus remanet nullus in prima provisione, ex quo Beneficium semper remanet vacans, et expresse hoc statuitur in supra laudato Decreto Sacr. Congr. de expressa mente et auctoritate Clementis X. edito, § *Qua propter*, ita ut possessor neque trienniali possessione posset se tueri, ut expresse

ibi cavetur, his præcisus verbis, ibi: « Ita ut quælibet Collatio, institutio et Deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta, irrita prorsus atque inanis censeatur, et sit, ac nulla etiam trienniali longior possessio eisdem suffragetur. » (56. Et novissime Benedictus XIV. re prius mature discussa, Const. incip. *Quam inscrutabili*, consilio atque motu proprio expresse declaravit ac definiit Canonicos Regulares incapaces esse cujuscumque Beneficii Sæcularis, aut Pensionis Ecclesiasticæ absque dispensatione Sedis Apostolicæ. Videatur ipsa Constitutio, in qua multa ad rem habentur et statuuntur merito legenda, et omnino servanda.

(57. Possunt tamen Regulares, et a fortiori ipsi Canonici Regulares assumi in Parochias sine dispensatione Apostolica in Parochiis eorumdem Monasteriorum, vel membris omnimode illis subjectis, ita ut titulus sit amovibilis, et Regularis. *Est communis*, et testatur praxis ubique recepta, quod in Parochialibus etiam extra Claustra plenarie unitis unione subjectiva eorum Monasteriis deputent pro Cura Regulares amovibiles ad nutum suorum Regularium Superiorum. (58. Et posse sic deputari Regulares in Parochias dictarum Parochiarum pluries probavit Sacr. Congr. Concil. et signanter in Auriens. 1693. de Mense Maii; et in Mechinen. 28. Novemb. ejusdem anni 1693. (59. Nec possunt cogi ipsi Regulares deputare Sacerdotem sæcularem in simili Parochia subjective unita ipsorum Monasterio; Sacra Congregat. Conc. in Regiensi 7. Februarii 1705; sed libere sine alia dispensatione possunt regulares Superiores in similibus suis Parochiis deputare pro Parochiis suos Religiosos ad eorum nutum amovibiles. (60. Nec ipsi Religiosi ad exercitium talis Curæ seu Parochiæ deputati possunt reclamare, si ab ipsis removeantur, ut censuit Sacr. Congreg. Concilii in Romana 17. Decemb. 1689. (61. Neque possunt congruam pro Curato sæculari taxatam a Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam et onerum Ecclesiæ sustentationem, et totum id quod superest debetur fideliter a Curato Religioso suo Monasterio, cum ipsi, et non sibi acquirat; cap. *Nolo* 10. cap. *Non dicatis* 12. caus. 12. q. 1. cum concordant. et Authent. Ingress. C. de Sacros. Eccles. Et sic auditis partibus, et causa bis proposita respondit Sacr. Congreg. Episcop. et Regularium in Mediolanensi Congruæ 4. Septemb. 1693. et 4. Martii 1694. Contra N. N. Monachum Cisterciensem Curatum deputatum Parochiæ Fellenechiæ Grancie Monasterii Murimundi, proponente Eminentissimo Cardinali Petruccio.

(62. Alia ad rem, Vide verb. *Beneficium*, etc., art. 1. n. 15. et verb. *Canonici Regulares*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. An exclusio a Concursu operetur nullitatem ipsius concursus independentem a reclamazione exclusi, non levis quæstio est.

(64. Negavit Rota, et quidem raro exemplo, respondendo contra informantem in Tarraconen. Parochialis 10. Novembris 1634. coram Pancirol. impress. apud Pignatell. Consult. Canonic. tom. 1. consult. 1.

(65. Impetraverat enim quidam Jacobus Torcorella quoddam Beneficium Parochiale hoc ex capite, quod in ejus collatione non fuerat servata forma Concursus, præscripta a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de Reformat. et a notissima Constitutione Piana: « Ad ostendendum autem (sunt verba Decisionis § 2) quod non fuerit servata forma Concursus adducit quod Antonius Gual non fuerit admissus ad examen, licet comparuerit, et protestatus fuerit pro admissione. » At Rota censuit: « quod ommissio alicujus ad examen (sunt verba Decisionis § 7) non est contra substantialem dispositionem Concilii, sed debet examinari de justitia, et si non examinaretur, potest agi de contemptu, non autem quod examen sit nullum, ipso non reclamante, ut in simili dicitur de vocatione Absentium ad electionem, quorum contemptus, ipsis non reclamantibus, non vitiat electionem. (66. Hæc igitur ommissio non est de forma Concilii, sed de justitia, quum de forma illud solum censeatur, quod est adinventum ab ipso Concilio, non autem quæ ab aliis Canonibus prius disposita erant. Sed remanent in suo robore. (67. Secundum vero Canones antiquos licet Episcopus tenebatur eligere digniorem, (68. si tamen illum omittebat, et eligebat dignum, provisio sustinebatur. Concilium autem solum innovavit, ut fiat Concursus, et Episcopus eligat digniorem. (69. Unde si Episcopus rejecit unum, et non vult illum examinare, male fecit, et ille potest dare de contemptu, non autem provisio est nulla, quia secundum Canones antiquos non erat nulla. »

(70. At re novissime delata ad idem Sacrum Tribunal Rotæ, in ea ipsum videtur fuisse sententia, ut exclusio alicujus a Concursu nullitatem ipsius concursus operetur etiam independentem a reclamazione exclusi, ita ut possit Beneficium impetrari ob non servatam formam concursus. Vide Decisionem in Monopolitana Præbendæ Theologalis 25. Junii 1736. Coram R. P. D. Stadion.

ARTICULUS III.

Concursus quando, ubi, et quomodo faciendus.

(1. Eveniente alicujus Parochialis Ecclesiæ vacatione, debet Episcopus statim illius Vacationis habita notitia, si opus fuerit idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur; textu expresso in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. ibi: « Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provideatur. »

(2. Verba autem illa *si opus fuerit* addita

sunt ad excludendum easum, quo in eadem Parochiali Ecclesia adessent alii Ministri Sacramentorum, qui interea curam illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent, ut declarasse Sacram Congregat. Concilii refert Garcias de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 13. (3. Illa vero dictio *statim* videtur importare, quod Episcopus non possit in longum differre, sed quantocius debere hujusmodi in ea Vicarium constituere; posse tamen Episcopum talem deputationem Vicarii usque ad tres dies a die habitæ notitiæ vacationis, non autem ulterius differre, tenet Barbosa de Offic. et Potest. Episcop. part. 3. allegat. 60. sub num. 2. Massobrius requisit. 1. dub. 13. et facit Concil. Provincial. Mediolanens. 1. tit. de proponendo Edicto, ubi statuitur, ut intra triduum proponatur Edictum pro Concursu. (4. Episcopus potest differre Concursum usque ad sex menses, si parochialis in suo mense vacaverit, et usque ad quatuor, si vacaverit in mense Sedi Apostolicæ reservato; ut expresse statuit S. Pius V. in Constitutione incipiente *In conferendis*; et Barbosa ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. num. 58. et de Offic. et potestate Parochi par. 1. cap. 2. num. 40. refert Sacram Congregat. Concilii in una Tiburtina sub die 28. Aprilis 1629. expresse censuisse, eveniente vacatione Ecclesiæ Parochialis, posse Episcopum intra quatuor vel sex menses respective a die vacationis apponere Edictum pro Concursu dictæ Parochialis. (5. Et isti sex vel quatuor respective menses concessi ad conferendam Parochialem, incipiunt currere non a die vacationis Parochiæ, sed a die scientiæ vacationis; argum. cap. *Quia diversitatem* 5. de concession. Præbend. et cap. *Licet* 3. de supplenda negligentia Prælatorum; et Rota in una Placentina Parochialis de Malpardida 28. Junii 1585, coram Seraphino decis. 702. inter impressas, tenuit tempus sex mensium datum Ordinariis ad conferendum Parochiales ad eorum collationes spectantes per dictam Bullam Sancti Pii V. quæ dicit a die vacationis, intelligi a die vacationis notæ, quamvis Episcopus nondum accepisset possessionem Episcopatus, cum per ipsum stetisset, ut refert Garcias, de Benefic. par. 10. c. 2. num. 22 et 23. (6. Sic etiam tempus quatuor mensium concessum Ordinariis ad provisionem faciendam de Parochialibus ad Papæ collationem spectantibus non currere nisi a die notitiæ habitæ vacationis, tenuit Rota in una Toletana 28. Novembr. 1578. Coram Seraphino dec. 380. inter impressas.

(7. Tempus sex, vel quatuor respective mensium concessum Episcopis ad conferendas medio concursu Parochiales vacantes Ecclesias currit ipsis Episcopis, etiam quando accedunt ad concilium Provinciale. Propositis enim circa hoc dubiis ad instantiam Episcopi Gerundensis in Sac. Congreg. concilii, « in una Gerundensi Juris conferendi. Primo, an tempus, et tempora, quibus Episcopus ex causa præfata cogitur a propria Diocesi abesse, computanda sint in termino sex mensium, vel potius ex illo detrahenda? Et

quatenus computandum; Secundo, an ei indulgenda prorogatio præfati termini? » Sac. Congreg. die 7 Julii 1685, respondit ad primum, computandum; Ad secundum, negative. (8. Pendente termino sex vel quatuor respective mensium, debet Episcopus proponere Edictum concursus intra decem dies, vel aliud tempus a se præfigendum; Conc. Trident. loc. cit. ibi: « Intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum. » (9. Dies Edicto pro Concursu ab Episcopo præscripti possunt prorogari usque ad viginti dies, sed non ultra. Sic expresse statuit Sanctus Pius V. in dicta Constitutione incip. *In conferendis*, ibi: « Nec tempus decem dierum eisdem Ordinariis, et Patronis ab eodem Concil. Trident., ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. » (10. Non tamen Episcopus tenetur terminum Concursus prorogare, sed bene facit prorogando, ut censuit Sac. Cong. conc., sub die 17 Mart. 1619. (11. Si vero ex justa causa Episcopus proroget Concursum ad Beneficia, hujusmodi prorogatio est publicanda, alioquin Concursus erit nullus; ead. Sac. Congreg. Concil. 6 Jul. 1606. (12. Concursus habitus infra terminum decem dierum non est nullus, si nemo post examen comparuit, qui se læsum prætendat. Cum enim Episcopus Montis Regalis publicasset Concursum, et statuisset terminum decem dierum Concurrentibus, intra quem terminum habitus fuit Concursus, quæsitumque an propterea sit nullus Concursus intra dictum terminum habitus; Die 2. Aug. 1607. Sac. Congreg. Concil. censuit, « examen factum intra terminum dictorum decem dierum non esse nullum, si nemo post examen comparuit, qui se læsum propterea prætendat. » (13. Idem dicendum est, si aliqui fuerint examinati infra decem dies, alii vero post, ita ut nullus ex Concurrentibus remanserit non examinatus. Cum enim, vacante Parochiali Ecclesia S. Margaritæ Placentiæ Provinciæ Bononiensis, positus Edictis Concursus decem dierum, et in ultima die, nempe decima, duo ex descriptis fuissent examinati, alii vero post elapsam dicti termini, et cum fuisset quæsitum: An propterea Concursus esset nullus? « Die 3. Jul. 1608. responsum fuit, tametsi duo examinati sint durante termino, si tamen reliqui omnes fuerint postea examinati, ita ut transacto constituto tempore ante renunciationem Examinatorum, et electionem Episcopi nullus remanserit non examinatus ex descriptis, satisfactum esse formæ Concilii, et Concursum ex hoc capite non esse nullum. »

(14. Tempus, quo debet esse affixum Edictum, est arbitrarium Episcopo, modo non excedat viginti dies; Concilium enim Trident. nullum tempus ad hoc præcise designat, immo sicut relinquit arbitrio Episcopi tempus præscribendum pro publicando Concursu: « Intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, » ita videtur re-

linquere arbitrio Episcopi tempus, quo debeat esse affixum Edictum, per leg. ff. de *Jure deliberand.* Garcias de Benefic. p. 9. c. 2. n. 10. Massobrius in praxi requisit. 2. dub. 9. Barb. ad dictum Conc. sess. 25. c. 18. num. 67. (15. Dies certa examinis Concurrentium, et propositi Edicti, debet apponi in Literis citatorii Concursus, alias ipse Concursus vitietur. Sic expresse Rota in Toletana Parochialis de Alcandete 3. Julii 1593. coram Seraphino; ubi dictum fuit, « Concursum esse defectuosum, nec in eo servatam formam Concil. Trident. quia non fuit apposita dies propositi Edicti, adeo ut sciri non possit, an intra terminum, vel post terminum fuerit Michael examinatus, quod tamen videtur necessarium ad examinis validitatem, cum terminus ille, qui præfigitur juxta dispositionem Concil. sess. 24. c. 18. sit ad convocandum eos, qui concurrere voluerint, et eo transacto non plus debent examinari, et ista non est forma ad effectum, sed præcisa. » Sic Rota ibi. (16. Et de facto, quod non debeat audiri, seu examinari, qui nullo detentus legitimo impedimento non comparuit in tempore Concursui præscripto, fuit decisum a Sac. Congreg. Conc. in qua proposito dubio: An si quis non descriptus in tempore Concursui præfixo comparuerit, et legitimo impedimento cessante, ita ut potuerit nomen suum infra præscriptum terminum deferre, et elapso termino, examine nondum facto, seu re integra, petat se ad Concursum admitti, sit ne audiendus? Ead. Sac. Congreg. sub die 7. Julii 1625. censuit non esse audiendum. (17. Qui tamen ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore Concursui præfixo, debet post terminum Edicti, re adhuc integra, ad Concursum admitti, etiam reclamantibus aliis oppositoribus; sic declarasse Sac. Congreg. Conc. refert Garcias de Benefic. part. 9. c. 2. n. 206. et sic tenuit Rota in Firmana Parochialis 6 Martii 1692. coram Card. Pamphil. senior. et in Calaguritana dimidii Beneficii, sive Portionis 22. Aprilis 1602. coram Ottembergo, ibi: « Poterit Provisor admittere ad Concursum venientem elapso termino ab eo præfixo, licet contradicat Adversarius, qui comparuit in termino propter auctoritatem Congreg. Concil. quæ in simili casu respondit, si termino elapso alter superveniat, eum re integra esse admitendum, idque æquitas, et favor Ecclesiæ suadere videtur, cujus interest plures oppositores concurrere, et hanc opinionem Domini receptorem, et de Jure veriorum laudaverunt, » argum. 1. et si post tres, ff. si quis cautio; cap. consul, de Offic. Delegati.

(18. Ante lapsum terminum Edicti nullum esse examen, et Concursum factum, maxime si post examen comparuit aliquis, qui se læsum propterea prætendat, resolvit Sacra Congreg. Concil. in *Potentina* 4. Maji 1619. in *Chariensi* 28. Julii. (19. Unde examen statim elapso termino Edicti potest per Episcopum inchoari, sed non potest eadem die claudi, ubi plures fuerunt descripti, quia sunt expectandi, vel vocandi, alioquin vitietur Con-

cursum, si ex pluribus descriptis unus, aut non omnes examinentur, et eis non expectatis claudatur Concursus; Sic Rota in *Toletana Parochialis de Alcandete, coram Aragonio* 10. Maji 1596. in qua dictum fuit: « Ideo Concursum fuisse nullum, et invalidam, quia cum infra terminum Edicti plures alii se opposuerint, et se describi fecerint, ideo examinato dicto Michael, Concursus non debebat statim eadem die claudi, prout fuit clausum, sed erat expectandum per aliquot dies, videndi gratia, si alii oppositores volebant se examini subicere. » Et in eadem *coram Corduba* 26. Decembr. 1597. habetur: « Nec Dominis placuit, quod eadem die, qua fuit inceptum examen, fuerit clausus Concursus, examinatus, et approbatus Michael, et facta illi collatio, non vocatis, neque expectatis reliquis oppositoribus, qui intra tempus Edicti fecerant oppositionem, et debebant saltem vocari, etc. » Sic refert, et tenet Garcias de Benefic. cap. 2. part. 9. num. 33. Seraphin. Decis. 1148. num. 5. Barbosa ad *Concilium Tridentinum dict. sess. 24. cap. 18. num. 75. de Offic. et potest. Paroch. part. 1. cap. 2. num. 46.* et sic censuit Sac. Congreg. Concilii in *Tarraconensi* 2. Decembris 1634. et 12. Maii 1635. (20. Uno tantum comparente ex pluribus descriptis, fieri potest Concursus, nec est opus, ut proponatur secundum Edictum. Et ratio est, quia verba Tridentini: *Ut omnes descripti examinentur*, debent intelligi quatenus veniant ad examen, alias esset in potestate unius nolle venire, impedireque proinde, ne ulterius procederetur. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert et tenet Garcias de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 215. Barbosa ad *Concilium Trident. dict. sess. 24. cap. 18. n. 75. et dict. cap. 2. num. 49.* (21. Quando unus tantum se describi facit, nec alii comparent oppositores ad se describi faciendum, fieri potest Concursus, nec opus est alio Edicto, aut termini prorogatione. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert, et tenet Garcias dict. part. 9. cap. 2. n. 215. Ugolin. de Offic. et potest. Episcoporum cap. 50. §. num. 4. Barbosa ad *Concilium Tridentinum loc. cit. num. 76.* et de officio, et potest. Episcop. part. 3. Allegat. 60. num. 51. et de officio et potest. Parochi dict. cap. 2. n. 50. (22. Quando nullus ad Concursum comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, Episcopus assignare debet aliud tempus, sive Edictum, et si adhuc nemo comparet, vel alias nemo idoneus reperitur, tunc conferre potest sine Concursu. Sic pluries decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. testatur Garcias loc. citat. num. 218. Barb. de Offic. et potest. Parochi loc. citat. num. 51.

(23. Edictum Concursus debet proponi ab Ordinario loci, ubi existit Beneficium Curatum vacans, et ibidem examen est peragendum, etiamsi Beneficium ab Ordinario alterius Diocesis sit conferendum. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert, et tenet Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. §. 2. proem. num. 17. Barbosa ad Conc. Trid. dict. sess. 24. cap. 18. num. 52. et de Offic. et potest. Episcopi